



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

De Venere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

DE ERIDANORVM

Da ueniam Venus alma rogat, Venus alma rogantem  
Audit, et optatam fert dea mitis opem.  
Quaque liquor maduit, frondescit Amaracus illic,  
Et grato uiridem flore colorat humum,  
Quaque et onyx, illo candescunt lilia prato,  
Aemula candori lilia Cypri tuo.  
Sparge suum florem Veneri formosa puella,  
Nec sua non Veneri lilia fonde puer.

DE NISEA, ET Chariteo.

O Ra Terentiolæ myrram flant, pectora nardus  
Dulcidiæ stacten labra Liquori tua.  
Colligit hæc Nisea simul, consperrit et aura  
Ambrosiæ, quam flat crinibus ipsa suis.  
Pyxide mox parua uiridi circundata myrto  
Dedicat, et ponit Cypria dina tibi,  
Optat et ut pariter cum coniuge transigat annos  
Quod Nisea cupit, quod Chariteus auct.

DE VENERE.

E Volat è gremio terræ leuis halitus, illum  
In rorem uertit noctis amici quies.  
E facie teneræ lenis fluit aura puellæ,  
Vertit eam in mentis dulce leuamen amor.  
Illiis aspersu mulcentur roscida prata,  
Huius at afflatus pectora fessa leuat.  
E gremio spirant telluris labra, uicissim  
Quæque quieta ferant tempora, quæque mala.  
Quos risus, quæ det suspiria pectus amantis,  
Ipsa eadem facies, utraq; signa dabit.

**C**ur non ē terra, sed de spumantibus undis  
 Nata sed irato sit Cytherea mari?  
**F**luctuat an semper miseri quia pectus amantis?  
**A**estuat et uarijs mens agitata modis?

## DE VENERE ET ROSIS.

**P**elebat Cytherea comas, madidumq; capillū  
 Siabat, Charites carmina lecta canunt.  
**A**d canticum Satyri properant, ad carmina Nymphæ,  
 Carmina de tacitis sœpibus hausta bibunt.  
**H**inc aliquis petulans ausus prodire Dionen,  
 Intuitur, docta dum linit ora manu.  
**E**rubuit pudibunda, ruborq; per ora cucurrit,  
 Occupat et teneras purpura grata genas.  
**M**ox interq; rosas, interq; roseta refugit,  
 Delitet, et molles spirat ab ore crocos.  
**D**um spirat, funditq; crocos, dum purpura fulget,  
 Concipit afflatus Dædala terra deæ.  
**H**inc et purpureum flores traxere colorem,  
 Quæq; prius candor purpura facta rosa est.  
**H**as legite, his teneræ crines ornate puellæ,  
 Pestano nitat lucida rore coma,  
**V**ere rosas, æstate rosas diffundite diuæ.  
 Spirent templa rosas, ipsæ et olete rosas.

## AD CARBONEM.

**F**estilibus si cœna placet tibi candide Carbo,  
 Cœna parata tibi est, ruraq; nostra patent.  
**E**t penus, et uirides horti, genialis et umbra.  
 Quasq; suas pandit Citria sylua comas.